

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. M. V.

EVANGELIUM. Luc. X.

In illo tempore, intravit Jesus in quoddam castellum; et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam: et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium, quæ stetit, et ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. Et respondens dixit illi Dominus: Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

CONCIONES.

- I. Encomia Marthæ et Mariæ, per excellentiam deberi Deiparæ, ostenditur.
- II. Deipara castellum, seu virtutes ejus præcipuæ.
- III. De gloriosa Deiparæ obdormitione.
- IV. Gloria Virginis assumptæ.
- V. Quamobrem Dei Genitrix ad celsissimum cæli thronum post Filium assumpta.
- VI. Quam merito Beata Virgo corpore assumpta.
- VII. Patrocinium Deiparæ omnium excellentissimum.
- VIII. Ad Virginis devotionem quæ nos excitare debeant.

CONCIO I.

ENCOMIA MARTHÆ ET MAGDALENÆ, PER EXCELLENTIAM DEBERI DEIPARÆ, OSTENDITUR.

I. Excepit Christum. — II. Audit verbum illius. — III. Ministravit. — IV. Sollicita. — V. Elegit optimam partem.

THEMA.

Maria optimam partem elegit. Luc. X.

Cavillantur nostri hæretici Ecclesiam Romanam, quasi inepte agat, dum in festo hodierno legit evangelium de Martha et Magdalena, idque Deiparæ applicat, cum de hac ne mentio quidem fiat in isto evangelio. Sed jure optimo respondere illis possumus, quod aliquando similibus novatoribus respondit S. Hilarius: « Sero venistis: nimis tarde surrexistis. Jam olim didicimus, quid de Christo et Ecclesia et sacramentis credere debeamus. Non bona suspicio est, quod nunc pri-

- IX. Documenta.
- X. Mystera.

CONCIONES AUCTARIUM.

- I. Virgo assumpta sacro falconi comparatur.
- II. B. Virgo in cælo quasi platanus exaltata.
- III. B. Virgo exaltata ut palma: causa tantæ exaltationis.
- IV. Protectio Deiparæ quam salutaris.
- V. Maria V. per omnia meliorem partem elegit.

mum apparetis: siquidem bonum frumentum non post, sed ante zizania et seminatum est et natum est. » Sic ille. Jam dudum nos didicimus ab Ecclesia, et viderunt ss. patres recte huic festo quadrare hoc evangelium. Quamquam enim Deiparæ mentionem nullam facit, quidquid tamen de Martha, quidquid de Maria Magdalena prædicat, id totum Deiparæ convenit et quidem per excellentiam.

Si enim Martha suscepit Christum, fecit hoc Deipara: si Maria sedit ad Christi pedes, audiens verbum ejus, fecit id Deipara: si Martha satagebat circa frequens ministerium, satagebat et Deipara: si Martha fuit sollicita et turbata erga plurima, fuit et Deipara: si Maria elegit partem optimam, elegit et Deipara, et quidem multo perfectius. Vult ergo dicere nobis Ecclesia, si unquam fuit aliqua Martha, quæ excepit Christum: si unquam fuit aliqua Maria, quæ assedit Domino, audiens verbum ejus: si unquam fuit aliqua Martha, quæ sedulo ministravit Christo; quæque

ipsius causa sollicita et turbata fuit: si unquam fuit aliqua Maria, quæ optimam elegit partem, fuit hæc Maria, Deipara nimirum, id quod nunc accuratius expendemus.

I. Maria Virgo excepit Christum in domum suam, quemadmodum et Martha, imo multo excellentius. Nam primo, excepit illum in uterum suum virginalem, omni regio palatio præstantiorem, adeoque talem, qualis præter ipsum non inveniebatur in mundo qui dignus esset tanto hospite. Etenim purissimum et sanctissimum Dei Filium deebat utique purissimus adeoque virgineus thalamus, qui omnia carnis inquinamenta nesciret in perpetuum. Hujusmodi autem virgo ante Mariam non inveniebatur. Nam tunc omnes conjugio studebant vel studere saltem intendebant, et illa reputabatur magis benedicta, quæ plures gigneret liberos; unde vel nulla tunc reperiebatur proprie virgo femina, vel saltem non talis ut Maria, quæ ex voto in perpetuum virginitatem Deo dicarit: *Est enim virginitas*, ut ait S. Aug. de virg. c. XIII. *in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio*, id est, perpetuum propositum: quia in proposito perseverare debet: ideoque a virore dicta est, quod in eo persistat, et ab adustione caloris immunis sit, ut docet S. Thom. II. II. q. CLII. art. I. Talis autem fuit virginitas Mariæ, ut ex eo patet, quod cum ei ab angelo filius promitteretur, respondit: « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Si cuilibet virgini, inquit super hoc Anselm. ser. in hod. festo, desponsata, in animo suo disponenti nubere, diceretur: Filium habebis, non miraretur, neque interrogaret, quomodo illud fieret, utpote quia se desponsatam et in proximo nupturam sciret et a viro fecundari usu speraret naturæ. Hæc autem mirata est, et quomodo, quod promittebatur fieret, sciscitata: quoniam quamvis desponsatam, tamen se nunquam nupturam, neque virum cognituram certissime sciebat. » Hæc Anselm. Fuit itaque Maria vere et proprie virgo, ob perpetuum virginitatis propositum, ideoque sola fuit, quæ Christum hospitem e cælo ad nos adventantem digna erat recipere. Quod si igitur laude digna est Martha, quia recepit Christum in domum suam artefactam: quanto dignior Maria, quæ recepit in ipso utero virgineo Dominum totius mundi? Gratias igitur debemus Mariæ, quod redemptori nostro præparavit habitaculum, ipsi placitum et congruum, et quod eundem in id receperit, animo promptissimo: quamquam non in utero solum, sed et in domo sua artefacta recepit Christum, siquidem in ea Christum concepit, enutrivit, educavit et suscepit non semel aut iterum, uti Martha; sed toto vitæ ejus tempore, neque in

divitem et amplam, qualis erat domus Marthæ; sed in pauperulam et angustam, quia aliam non habuit. Et hinc absque dubio, quia angustissimam suam ædiculam illi communem fecit, voluit Deus ut ea in hodiernum incolumis et integra persisteret, et ab angelis eum in locum transferretur, ubi maximo in honore et cultu haberetur: nimirum ut Josue solam domum Rahab, ex omnibus, quæ in Jericho erant incolumem et salvam esse voluit, quia ipsa absconderat in ea exploratores suos; cæteras ædes omnes succendit, Jos. VII. ita Christus solam hanc hospitiæ suæ ædiculam usque in hodiernum salvam et integram conservare voluit, quia mundum exploraturus, in ea hospitatus et bene habitus fuit. Quia ex hoc capite etiam Deipara Martham superat, et quidem multis partibus; siquidem ordinaria et perpetua Christi hospita fuit. Unde etiam discimus sedulo asservari et conservari, quidquid Deo datus: commodavit Maria Christo suum habitaculum, et manet adhuc integrum: donavit Martinus Christo in forma pauperis suum palliolum, et asservavit illud Christus monstravitque ei de nocte: dedit S. Eduardus Angliæ rex pauperi annulum amore S. Joannis evangelistæ, imo ipsi Joanni in forma pauperis, et eum asservavit Joannes ac postea remisit regi per peregrinos angelos: dedit Oswaldus item Angliæ rex pauperibus discum argenteum una cum epulis, et dextera ejus, quæ discum illum dederat ex mensa juxta præsagium episcopi tunc assidentis, nunquam putrefacta est, sed post mortem semper integra mansit: ita nimirum in tuto est, quicquid Deo datur.

II. Maria Virgo sedebat secus pedes Domini et audiebat verbum illius quemadmodum et Magdalena, imo etiam in hoc Magdalena longe superavit. Nam primo, longe attentius verba Christi Mariam audivisse quam Magdalenam, probatur inde, quia longe melius sciebat Christum esse Filium Dei, quam Magdalena. Noverat sibi ab angelo nuntiatum, sine complexu viri a se genitum: noverat divinitatis radios ex ipsius moribus, et verbis coruscantes: noverat fide firmissima et illuminatissima: unde certissimo sciebat Verbum Filii sui, esse Verbum Dei. Cur nos Dei verbum tam frigide audiamus, causa est, quia frigide credimus esse verbum Dei, quod nobis a concionatoribus passim annuntiat. Si vobis litteræ principis nostri sigillo et manu ejus communitæ a magistratu prælegerentur, multo attentius audieritis, quia nihil dubitaretis esse verbum principis, quod auditis. Quoniam ergo Deipara longe certiora testimonia divinitatis Filii sui habuit, longe avidius, et attentius et reverentius audiit verbum ejus, quam vel Magdalena ve

quisquam alius sanctorum. Idecirco, exactissime observabat etiam ea, quæ a pastoribus vel aliis dicebantur de Christo, quia sciebat quorsum tenderent, utpote cognitione mysteriorum Christi omnibus præcellens: *Conservabat*, inquit Lucas, *omnia verba hæc conferens in corde suo*, Luc. II. Ad hæc sciebat etiam Christum esse Filium suum. Nemo autem nescit parentes valde delectari prudentibus filiorum responsis et argutiis, eaque memoriæ commendare. Quoniam igitur nullum Christi verbum, etiam infantile fuit, quod non sapientia et mysteriis plenum esset, idecirco summa cum delectatione, admiratione et aviditate audiebat eum loquentem mater. Hinc Lucas, qui de Magdalena scribit: *Sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*; excellentius de Maria scribit, nimirum: *Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo*, Luc. II. omnia verba, i. e. omnia dicta et facta ejus. Multum itaque dilexit Christum Magdalena, sed plus ultra mater ipsius: ideo illa verbum Christi audisse, hæc vero omnia ejus verba conservasse describitur.

Deinde, longe frequentius verba Christi audiebat, quam Magdalena. Hæc enim ad summum per biennium aliquoties Christum audierat: sed Deipara per annos triginta tres assidue loquenti aderat et cum illo sermocinabatur. O quis capere queat, quanta illic sermonum sublimitas in Christo? Quantus audiendi fervor et intelligendi vis in matre? Equidem mihi persuadeo, idecirco tam raro locutam scribi Deiparam, quater videlicet tantum, quod non placuerit ei loqui, dum audiendi tantum doctorem, Filium, potestas fuit. Quemadmodum enim nos, virum prudentem et expertum de longinquis nationibus adventantem, et stupendam quædam de exteris terris narrantem, ita avide audimus omnes, ut nullus facile præsumat loqui, sed omnes magno silentio ipsum loquentem audiamus; ita fecisse Deiparam credo. Quando enim Filius ejus de cælo venit et cælestem doctrinam mundo attulit, quomodo Maria non audire potius Filium suum quam loqui aliquid vellet? Si Magdalena pedibus Christi assidebat propter sermonem ejus: si Petrus propter eundem divelli ab eo noluit, dicens: *Domine quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes*: si denique populus innumerus verborum Christi dulcedine illectus secutus est eum ad solitudinem et montes, aliquot dierum itineribus, non putamus eadem Christi verba longe mellitiora fuisse in auribus Matris?

III. Satagebat circa frequens ministerium, plus etiam quam Martha; siquidem Martha Christo hospiti suo cibos apparabat, et forte lectum componebat, aut similia ministeria obibat, et hæc quamdiu hunc hospitem habebat. Sed Maria Vir-

go hæc et his majora servitia Christo impendebat, quamdiu eum Filium habebat. Quid enim non facit sollicita et amans mater causa liberorum: quas curas, quos labores, quæ fastidia non suscepit, donec ex infantia ad maturiorem ætatem eos perducatur? Et quid fecisse putamus talem matrem tali filio? Quod opus misericordiæ, quod illi non impenderit? Annon esurientem et sitientem pavit et potavit lacte suo virgineo? Annon vestivit nudum cum infantem fascis involvit, et parvulo vestem fecit congruentem et necessariam, desuper contextam per totum: cum, ut pie creditur, denudato ad crucifixionem verendam nuditatem detracto sibi velamine textit, cum denique carne sua eum induit? Annon captivum quodammodo redemit, cum parvulum Herodis furori et gladio subtraxit? Annon infirmum visitavit, cum infantem fovit, balneavit, in ulnis gestavit, lacrymantem blanditiis demulsit: cum pendenti in cruce adstitit? Annon peregrinum suscepit, cum et in uterum et in domum suam Filium Dei recepit, alioquin non habentem, ubi caput suum reclinaret? Annon eundem Filium suum mortuum sepelivit? Porro in misericordiæ operibus spiritualibus maxime occupatam fuisse post ascensum Christi, nemini dubitandum est. Cui enim esset tunc magistra apostolorum et omnium Christianorum omniumque solatium et refugium, num otiosam fuisse putabimus, et non magis peccantes modeste et graviter correxisse, ignorantes docuisse, dubitantibus recte consuluisse, pro salute proximorum, pro Ecclesiæ incremento, pro infidelium conversione, etc. Deum sedulo orasse, mæstos consolatam esse, injurias Judæorum patienter sustinuisse, et offensas remisisse? Omnia hæc tam vera esse mihi persuadeo, quam vere scio eam Dei Matrem fuisse. Unde Rupert. optime distinguit in B. V. duo tempora, alterum tacendi, alterum loquendi, designata, Cant. IV. Primum, viventi Filio: erat enim tunc: *Hortus conclusus, fons signatus*; audiebat verbum Dei: *Et custodiebat illud, et conservabat conferens in corde suo*: alterum, post Christi ascensionem, quando emissiones ejus erant paradisi malorum, labia ejus favus distillans, cum apostolorum erat magistra, evangelistarum instructrix, et rerum nostræ religionis interpres, hæresum interemptrix et omnium dubitantium oraculum. Qua ex re nos discimus, consimili modo non vacare tantum nobis, sed etiam salutem proximorum; et id imprimis, tacere et attendere sub concione, postea quæ audivimus et didicimus, aliis communicare.

IV. Sollicita erat et turbabatur erga plurima, multo magis et laudabilius, quam Martha. Occu-

patur Martha circa mensam apparandam; quod non reprehendit Christus, sed potius commendat; nimiam tamen sollicitudinem deponendam monet, quia in re tali necessaria non erat. Sollicita erat Maria et turbabatur erga plurima; sed in rebus majoris momenti, unde ex hac parte laude dignissima est. Hanc enim sollicitudinem requisivit Michæas, cum dixit, cap. VI. « Indicabo tibi o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere judicium et diligere misericordiam et sollicitum ambulare cum Deo tuo. » Nemo autem magis sollicitus ambulavit cum Deo, quam Deipara, cujus fidei et custodiæ commendatus erat Deus. Cogita quam sollicitus foret is pædagogus, cujus fidei et discipline commissus esset regis filius in extera natione Mariæ commissus fuit ipsemet Dei Filius. Itaque sollicita ambulavit cum Deo et turbata est, quando ei annuntiabatur ab angelo, metuens ne detrimentum aliquod virginitatis pateretur: sollicita in partu quando veniens in Bethlehem non invenit locum in diversorio, sed divertere in stabulo vel spelunca debuit: sollicita post partum, quando Filium circumcidendum obtulit: sollicita ambulavit cum Deo suo, quando Herodis insidias fugiens secessit in Ægyptum: sollicita in Ægypto, quando inter gentiles una cum Filio degebat: sollicita et anxia, quando Filium triduo perdidit: sollicita cum metuit, ne ulla ratione, verbo vel cogitatione Filium offenderet, hinc enim responsioni Filii statim acquiescere solebat, nec verbum adjecit, ne qua ratione illum offenderet, ut quando invenit eum in templo, et quando vinum in nuptiis procuravit: sollicita cum vidit juxta Simeonis prædicationem, Filium comprehendere, ligari, flagellari, conspui, spinis coronari, derideri, condemnari et crucem sibi bajulare: maxime vero sollicita et turbata supra modum, cum stabat juxta crucem: quinetiam de aliis sollicita quoque fuit, uti de iis, quibus in nuptiis vinum defecerat, siquidem pro iis rogavit.

Docemur hinc et nos similem habere sollicitudinem, ante s. communionem, ut conscientiam nostram sedulo purgemus: in ipsa communionem ut cum debita reverentia et devotione Christum suscipiamus: post communionem, ut ne hospitem tantum rursus perdamus, vel aliquam rationem offendamus.

V. Optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea magis, quam a Magdalena. Nam imprimis nemo unquam tot tantaque præsidia ad vitam contemplantem habuit, uti ipsa: habuit enim ipsam Dei sapientiam pro domestico et privato institutore ad annos triginta tres. Hujus facta et dicta omnia in cordis sui scrinio reposuit, ac pos-

tea orbata Filio jam in cælos assumpto, eadem ruminavit, jam a mundi curis et negotiis, quibus antea distinebatur, libera. Ad hæc ab omni peccati nevo semper integra et in gratia Dei confirmata, in carne sine carne vixit, conversationem in cælis firmam ac fixam habuit, divinæque charitatis præceptum maximum, ut nemo alius observavit. Quo autem mundius est speculum, eo melius suscipit et clarius representat imagines. Unde nihil illi facilius erat atque usitatus, quam intellectu et affectu se cum Deo conjungere, et in cælestem amorem rapi, unumque cum summo illo bono quod votis ardentissimis exoptabat, per amorem excellentem effici. Duplici enim nomine in amorem Dei et unionem cum ipso rapiebatur, naturæ scilicet et gratiæ. Hinc Albert. M. in suo Martiali, Dionys. Carth. I. IV. de laud. virg. art. III. et post hos theologi statuunt Deiparam, non vi alicujus morbi sed vi ardentissimi desiderii et intensissimæ contemplationis obiisse. Accidit revelatio S. Birgittæ, I. II. c. LXII. ubi de seipsa hæc scribit: « Paravi me ad exitum circumiens omnia loca more meo in quibus Filius meus passus fuerat: cumque quadam die animus meus suspensus esset in admirationem divinæ charitatis, tunc anima mea ipsa contemplatione repleta fuit tanta exultatione, quod vix se capere poterat, et in ipsa consideratione anima mea a corpore fuit soluta. » Sic illa ex persona Deiparæ.

Deinde, quia cum contemplativa vita activam etiam junxit, ut videmus, adeoque mixtam ex utraque egit, et proinde non Magdalenam tantum, sed et Martham sese præstitit et utriusque laudem ac partem promeruit. Ejuemodi autem vita majoris est meriti: siquidem non tantum habemus præceptum diligendi Deum, sed etiam diligendi proximum. Christus etiam talem vitam egit; unde Luc. VI. dicitur descendisse de monte et docuisse ac sanasse turbas, sic Moyses cum Deo interdum in excelsis loquebatur, interdum cum populo egit in tabernaculis, Exod. XVIII. Angeli etiam illi quos Gen. XXVIII. in somno Jacob super scalam vidit, ascendebant et descendebant: quo indicabatur, modo ascendendum esse ad Deum per contemplationem, modo descendendum ad proximum sublevandum et juvandum. Quando igitur Maria utramque vitam egit, jure utriusque partes obtinet.

Denique, quia vita Magdalena manet, vita Marthæ cessat, et in meliorem transit, ideo ex hoc etiam capite Maria Virgo *optimam partem elegit*, et meliorem quam Magdalena; ut enim post laborem et fatigationem quies, post æstum umbra, post famem et sitim refectio suavior et gra-

tior est: ita post activam illam, ærumnosam et laboriosam vitam requies æterna. Itaque Deipara optimam elegit partem, quia non jam ipsa suscipere habet Christum in domum suam, sed a Christo ipso suscepta est in domum ipsius cœlestem. Non jam amplius ad illius pedes sedet audiens verbum ejus, sed ad ejus dexteram, audiens cœlestem omnis generis melodiam: non jam sagittat amplius quomodo ei ministret, sed videt potius sibi ab omni cœli militia ministrari: non jam amplius sollicita est de Filio, sed videt eum in gloriâ ad Patris dexteram: non jam turbatur erga plurima, non metuit crudelem Herodem, non metuit Judæos, sed videt Filio suo omnia subjecta. Denique, ipsa partem illam, quam dudum elegerat et diu expectarat, hodie consecuta est, æternum retentura. Ibi in domo Filii æternum hospitabitur: ibi ad ejus dexteram cœlesti symphonia æternum recreabitur: ibi nulla sollicitudine aut perturbatione tangetur in æternum: ibi parte optima fruatur in æternum. Sed jam superest, o Regina cœli, ut de nobis clientulis et filiis tuis sollicita sis. Nos enim adhuc sedemus ad pedes Filii tui: nos adhuc ministramus: nos solliciti sumus et turbamur erga plurima: nos deteriore partem sectamur: dic ergo Filio tuo, ut nos adjuvet.

CONCIO II.

DEIPARA CASTELLUM, SEU VIRTUTES EJUS
PRÆCIPUÆ.

I. Fossa, humilitas. — II. Vallum, virginitas. — III. Murus, temperantia. — IV. Perspicillia, prudentia. — V. Propugnacula, justitia et fortitudo. — VI. Sacellum, religio. — VII. Armarium, clementia. — VIII. Tormenta, charitas. — IX. Turris, confidentia in Deum. — X. Specula, fides.

THEMA.

Intravit Jesus in quoddam castellum. Luc. X.

Magnos principes, magna munita et splendida decent palatia, tum ut in eis digne, tum ut secure habitent. Quod igitur Dei Filio in terras descendenti palatium assignabimus, nisi splendidissimum et munitissimum? Hoc vero ubinam? *Mulierem fortem quis inveniet?* Hodier. evang. indicat hoc palatium, cum ait ingressum Dominum in castellum quoddam. Quod enim hoc castellum (sensu mystico) nisi Mater ejus, in cujus uterum ingressus et ab illa exceptus est, quando homo factus est? Dignum tanto principe palatium: *Nec enim in terris,* inquit S. Bern. serm. I. de assumpt. *locus dignior*

uteri virginalis templo, in quo Filium Dei Mariæ suscepit. Porro cum vulgo castellum appellemus arcem munitam, bellicis præsiidiis instructam, videamus an Deipara ejusmodi castellum fuerit.

I. Castellum habet fossam. Hæc in Virgine est humilitas: cum enim ipsa a Deo miris prærogativis eveheretur supra omnem creaturam, ne superbiæ aditum præberet, fodit circa se fossam humilitate; veluti cum ab angelo miris laudibus affecta salutaretur: *Gratia plena, etc.* se humilitate armans ait: *Ecce ancilla Domini*, Luc. I. Ut enim turbini melius non occurrimus quam si in terram corruamus: ita et Deipara maximorum præconiorum turbini humilitate obviavit, confugiendo et quodammodo corruendo in fossam humilitatis, pensando quid ex se, non quid ex Dei gratia esset. Eadem fossa se munivit, cum jam in utero ferens Deum ivit ad Elisabetham, major ad minorem, eidem servitura, quo videlicet in summa dignitate memor esset humilitatis: quomodo apis contra venti impetum lapillo sese prægravat, ne ab eo abripiatur, Aristotel. I. IX. de animal. c. XL. Observavit ergo id Eccl. III. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Non attendebat ad gratiæ suæ prærogativam, non ad generis sui prosapiam, sed ad status sui humilitatem, ad sexus fragilitatem, ad suam paupertatem, etc.

II. Habet vallum seu aggerem, qui in virgine castitas est virginitatis. Eo enim spectant illa sponsi verba virginem laudantis cum ait: *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis*, Cant. VII. Vallum hoc liliorum propositum seu votum virginitatis est, ventrem Mariæ muniens, quod ipsa objecit angelo conceptum annuntianti, cum ait: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* q. d. non patet fecunditati ullus ad me ingressus nisi fides mihi detur conservandæ virginitatis; siquidem ejus voto quasi vallo quodam jam dudum me inclusi ac munivi. Hanc fuisse ipsius mentem patet; alioqui enim frustra interrogaret: *Quomodo fiet istud?*

III. Habet murum, quem in Deipara statuimus temperantiam, qua seipsam inclusit intra limites honestatis et virtutis. Huc pertinet abstinentia, qua Virginem excelluisse non est dubitandum, et colligitur ex illo ejusmodi verbo, quo nuptialibus convivis, non sibi, vinum procuravit. Non enim ait: *Vinum non habemus*, sed: *Vinum non habent.* Sanctus etiam Ambrosius, de ea scribit, l. II. de virginibus: *Si quando reficiendi successisset voluntas: cibus plerumque obviis, qui mortem arceret, non delicias ministraret.* Item modestiam in vestitu, de quo Epiphanius presbyter Constantinopolitanus,

in vita Deiparæ et ex Epiphanio, Nicephorus, l. II. hist. cap. XXXII. scribit: *Vestimentis, quæ ipsa gestavit, coloris nativi contenta fuit, id quod etiam nunc sanctum capitis ejus velamen ostendit: et Cedrenus, in compend. de eadem: Vestes, (inquit) amplexans nullo colore tinctas: et Damascenus, oration. I. de nativ. Honestus, ait, vestitus, molliorem omnem ac luxum fugiens.* Item verecundia et pudor, quo se velut muro inclusam continuit, et tutata est ab omni morum levitate vitæque licentia. Quod Sanctus Ambrosius ostendit ex eo, quod Lucas ait, ingressum ad eum angelum: *Discant* inquit, libro II. in Lucam, *mulieres propositum pudoris imitari, sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus angelus reperiret: sola sine comite, sola sine teste, etc.* et libro II. de virginitat. *Prodire domo nescia, nisi cum ad ecclesiam conveniret, et hoc ipsum cum parentibus et propinquis.* Denique, taciturnitas, quam veluti murum custodiam et circumstantiam apposuit labiis suis. De qua re Sanctus Bernardus, sermone *signum magnum*, loquens ait: « Pudibunda fuit Maria, ex evangelio id probamus. Ubi enim aliquando loquax? Ubi præsumptuosa fuisse videtur? Foris stabat querens loqui Filio: nec materna auctoritate aut sermonem interrupit, aut in habitationem irruit, in qua Filius loquebatur; in omni denique textu evangeliorum non nisi quater Maria loquens auditur. » Sic Bernard.

IV. Habet in muro suo perspicillia, per quæ circumspici possunt ea, quæ extra muros sunt. Hæc in Virgine sunt prudentia et circumspectio in sermone et actione. Quanta enim ejus circumspectio in colloquio angelico, sive ad tuendam virginitatem: *Quomodo fiet istud?* Sive ad exerendam humilitatem: *Ecce ancilla Domini?* Quanta in templo Jerosolymitano, cum invenit Christum ad dolorem exprimentum: *Quid fecisti nobis sic?* Luc. II. Quanta in Cana Galilææ, ad compassionem ostendendam? *Vinum non habent?* Joan. II. Ad ministros instruendos: *Quodcumque dixerit vobis facite.* Quanta in conservandis et expendendis dictis et factis Filii sui?

V. Habet propugnacula, quæ in Virgine fuerunt, justitia et fortitudo, justitia unicuique suum jus tuetur. Id quod fecit Virgo; quod vel ex eo cognoscimus quod Deo reddidit obedientiam, veluti quando dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Similiter sponso suo, cujus directioni se in omnibus submisit, veluti cum eum fugientem in Ægyptum et inde redeuntem sine mora comitata, tametsi soli Josepho angelus ea de re locutus est. Denique, inclinavit a malo et fecit bonum, quæ sunt duæ partes justitiæ secundum D. Thom. II. II. q. LXXIX. art. I.

VI. PARS FESTIVALIS.

Fortitudo perstat in rebus adversis, seque invictam præbet, uti in Maria, quæ non solum incommoda plurima propter Filium ex voluntaria paupertate, et crebris itineribus, modo in montana Judææ, modo in Bethlehem, modo in Ægyptum, modo in Galilæam, modo Jerosolymam; ex difficili item et molesta commoratione inter Ægyptios et perfidos Judæos, sustinuit; sed etiam dolores et cruciatus incomparabiles ex compassione erga Filium, qui velut acutissimi gladii cor ejus multoties transverberavit, maxime vero cum juxta crucem stetit: *Stantem enim illam lego, fentem non lego*, ait S. Ambrosius, in orat. de obitu Valentiniiani. Taceo opprobria, quæ illius cor directe feriebant, ut cum audiit Judæos per contemptum dicentes: *Unde huic hæc omnia? Nonne hic est faber, filius Mariæ*, Marci c. VI.

VI. Habet utique et sacellum quod in Virgine est religio, qua animam et corpus suum Spiritui s. templum dicavit, quod Dei Filius sua inhabitatione consecravit. Præter hoc ab ipsa tenera ætate, a parentibus avulsa ad templum præsentata, divino se obsequio mancipavit: deinde, Filio materna obsequia præstitit tanta sollicitudine, quanta nulla unquam mater; ad hæc purificationis legi se subjecit, qua non tenebatur: templum item Jerosolymatum statis temporibus cum Filio adivit, quod ipsi lex non præceperat. Eodem spectat virtus orationis, quæ in ea excelluit, ut ex Actis, cap. I. discimus, ubi dicitur: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus et Maria matre Jesu.* Quibus verbis indicatur, Mariam fuisse magistram et directricem orationis, et spiritualium exercitiorum, velut abbatissam monasterii, quæ velut navarchus in puppi stans navem religionis dirigit.

VII. Habet et armarium suum; quod in Virgine aliud non est nisi clementia et mansuetudo, quæ veluti armarium inclusa continent arma. Audi Bernardum, sermon. *signum magnum*, in assumptione: « Quid, (inquit), ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suavis est, omnibus offert lac et lanam. Revolve diligentius evangelicæ historiæ seriem universam, et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cætero suspectam habeas et accedere verearis. » Hæc ille. Hujus argumentum maximum est, quod injurias Filio irrogatas patientissimo animo tulit; nam, ut ait Bonaventura, cap. VIII. *Interfectores Filii sui nunquam odit, nunquam contra eos impatiens fuit.* Unde Ecclesia merito eam invocat: *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!*

VIII. Habet tormenta sua hellica; quæ in Deipara quid sunt, quam actus charitatis vehementer inflammati et magno impetu erumpentes partim versus Deum, in cuius amorem tota exardescibat, uti ex ejus Cantico: *Magnificat*, colligit Sanctus Bonaventura, in spec. cap. IV. *Anima enim, inquit, quod amat, hoc magnificat et in hoc exultat: idcirco anima Mariæ Deum decentissime magnificavit et in Deo firmissime exultavit, quia Deum excellentissime amavit.* Quia explicet quanto amoris impetu exploserit, quodammodo e cordis sui penetralibus verba illa: *Ecce ancilla Domini? Et illa: Fili, quid fecisti nobis sic?* Partim erga proximum, ut indicat ejus sollicitudo pro sponsi et sponsæ inopia sublevanda et honore tuendo, cum dixit: *Vinum non habent*: et compassio ejusdem pro sponsi sui mœrore, quem is perlatit ob amissum illum, quando dixit: *Pater tuus et ego dolentes quærebamus te.*

Perfecta charitas foras mittit timorem, ait Sanctus Joannes, epist. I. cap. IV. Id fecit in Maria, quando ea, omnibus recedentibus a Christi cruce, non recessit.

Perfecta charitas cognoscitur maxime in rebus adversis. Et Deipara omnium molestiarum et passionum Christi socia fuit, eique ad finem usque adstitit, imo postremum lanceæ vulnus pro Filio in corde suo excepit.

Denique: *Majorem dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat pro amicis suis.* Maria posuit pro amicis suis Filium suum, quem magis dilexit quam seipsam.

IX. Habet turrim. Hæc significat spem et confidentiam Deiparæ, quam habuit in Deo firmissimam, ut posset ei dicere id Psalm. LX. *Factus es spes mea turris fortitudinis a facie inimici.* In hac enim turri quasi in securissimo refugio consistens contempsit omnes difficultates, quæ se illi objiciebant pericula, insidias, metus; velut cum assensum dedit angelo Gabrieli. Poterat enim tunc, et nostro judicio debebat cogitare ac respondere: Vides me parentes habere, quibus hac de re cogar reddere rationem: scis me habere sponsum; quid ille de me sentiet, cum gravidam me viderit, quæ thoro ejus non jungor? Dicet me adulteram, vel si dixerit esse opus Spiritus sancti, blasphemam. Ad hæc qua ratione potero superare difficultates, quas prævideo, uti paupertatem meam, insidias Judæorum, invdiam contribulium et vicinorum, gladium doloris, qui non semel tantum cor meum penetrabit, etc. Nihil horum ipsa, sed in Deo nixa totam se ei commisit. Rursum quanta animi fiducia per furentem turbam sacerdotum, Judæorum, militum penetravit ad Filii crucem? Quid enim agis mu-

lier? Non metus ne insanus furor populi Filium tuum obruens, una te quoque obruat? Quis ibi te defendet? Quis non cum ludibrii genere te subsannabit et manibus super te plaudet? Nihil horum timuit, quia in turre spei stetit.

X. Habet in turri speculam; quæ denotat fidem Mariæ, prædicatam ab Elisabetha, Luca I. dicente: *Beata quæ credidisti*, videlicet Gabrieli. Maxima ea fides fuit. Credidit enim Deum fore hominem, et quidem in utero suo sine detrimento virginitatis et sine viri opera. Quanta et quam miranda sunt ista? Deinde, tempore passionis et mortis Christi in fide inconcussa fuit. Ideo eidem crucifixo adstitit, et cum cæteris mulieribus ad ungendum corpus ejus (quem firma fide tertia die resurrecturum credebat) nequaquam accessit, ut merito dicamus ipsam esse mulierem illam fortem de qua Proverb. XXI. dicitur: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus*: ea videlicet nocte, in qua cæcutiebant et nutabant ipsi apostoli. In cuius rei memoriam in officio hebdomadæ sanctæ reliquis candelabri triangularis candelis extinctis, una accensa remanet, quæ in Deipara fidem resurrectionis explicitam et inextinctam significat.

Habemus ergo Deiparam vere castellum fuisse et proinde dignum, in quod Christus intraret, et quod inhabitaret. Securus ibi Christus, ubi tali castello clausus. Non auferetur Christus ab eo, qui eum tali hospitio receperit. At vero cum hæc præsidia negliguntur, facilem acquirit hostis aditum ad expugnandum castellum, et qui in eo est, Christum.

Quid vero de iis dicam, qui his omnibus præsidiis carent? Verbo dicam. Hi castellum dæmonis sunt, quod imprimis fossa caret humilitatis; quare ibi fastus et arrogantia, proximi contemptus: caret vallo castitatis; unde ibi impudicitia et lascivia, fornicationes et adulteria, cantilenæ et choreæ: caret muro temperantiæ; hinc ibi gula et ingluvies, comessiones et ebrietates, vestium superbia, libertas et impudentiæ, levitas et garrulitas: caret pinnicidiis prudentiæ; unde ibi tenebræ et in quævis præcipitia facilis lapsus: caret propugnaculis justitiæ et fortitudinis; unde jure violantur et hosti manus dantur: caret sacello religionis; unde nulla pietas, timor Dei exultat: caret armario mansuetudinis; unde armis et furore omnia implentur: caret denique bombardis charitatis, turre spei, specula fidei; quia charitas ibi extincta est, spes friget, fides claudicat. Et quid mirum ejusmodi castellum a diabolo occupari et possideri

CONCIO III.

DE GLORIOSA DEIPARÆ OBDOREMITONE.

I. B. Virgo dormivit plena diernm. — II. Præscivit diem mortis. — III. Morienti Christus adstitit. — IV. Et apostoli. — V. Obit sine dolore. — VI. Mors miraculis illustris. — VII. Corpus vitæ redditum.

THEMA.

Huic erat soror, nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Luc. X.

Magnum quidem humilitatis actum exercuit Magdalena, cum ad pedes Domini sedens verbum ejus audivit, sed inde tamen tantam sibi peperit gloriam: ut ne tantam quidem Cleopatra, cum unionem pretiosissimam ingenti fastu devoravit. Siquidem id Magdalene factum celebrat S. Lucas tamquam præclarissimum et post eum tota Christi Ecclesia. Scio ego et alteram Mariam, quæ et ipsa simili humilitate sedens secus pedes Domini audiit verbum ejus, et inde etiam multo maximam consecuta est gloriam. Ea vero est Deipara Virgo, quæ etiam sedit secus pedes Domini, quando ad instar aliorum hominum, imo ad instar etiam Filii sui, mortem ipsa quoque oppetiit et in sepulcro reclinata est, adeoque audiit verbum illud Domini, quo statutum est omnibus hominibus semel mori. Hæc ipsa tamen mors ad majorem ejus gloriam cessit, quam si mortua non fuisset: Ita nimirum Christus mortem vicit et mors mortis fuit, ut ex contempta morte faceret pretiosam mortem. Quam vero pretiosa et gloriosa fuerit mors Deiparæ, nunc discutiamus.

I. Obdormivit plena dierum in venerabili senectute, licet incertum quo ætatis anno; alii sexagesimum ætatis annum attigisse volunt, alii sexagesimum tertium, alii septuagesimum secundum. Quidquid de hoc sit, constat Deiparam post Filii ascensionem superstitem fuisse: deinde, satis certum etiam est ad senectutem pervenisse, quæ gloriosum Virginis transitum non parum decoravit. Si enim teste Sapiente, Prov. XVI. *Consona dignitatis senectus, qui in viis justitiæ reperitur*: cur non in Deipara, quæ in viis justitiæ unquam non ambulavit, omnem ætatem trivit, et ad multam usque senectutem perseveravit? Hinc non immerito ad honorem ætatis ejus recitamus rosarium seu coronam sexaginta trium globulorum; quoniam omnes illius anni pleni fuerunt justitia et virtutibus. Sed quid causæ fuit, quod matrem dilectissimam Christus tamdiu post se relinquere in terris voluerit?

Primo, ut Manichæorum hæresi os obstruere-

tur, neganti Christi corpus verum fuisse, sed phantasticum asserenti. Mater enim tamdiu superstes hujus veritatis testis erat, quæ eum in utero novem mensibus gestavit, eundem peperit, educavit et nutrit.

Secundo, in gratiam apostolorum, necnon pusilli gregis Christianorum, qui tunc erat: ut eos regeret, doceret et in persecutionum initio consolaretur et animaret. Nemo enim nescit primos Christianos veluti adhuc infantes præsidio matris indiguisse, a qua adhuc in tenella ætate alerentur et educarentur, id est, edocerentur, dirigerentur ac confortarentur, donec ipsa Ecclesia sapientia et robore ita cresceret ut suismet pedibus consistere et in aciem prodire posset: sic soli abscedenti succedit luna. Et quidem apostolos et evangelistas plurimum ab ea informatos esse in fidei mysteriis nulli dubium esse potest, et testatur in specie de Joanne evang. Ambrosius.

Tertio, in consolationem fidelium justorum, si hic diu vivere sinantur, et merces gloriæ ejus differatur. Si enim dilectissima Christi Mater tamdiu dilata fuit: quis non patienter sustinet? Certe S. Ignat. Loiola aliquando dicebat, si optio sibi daretur, ut vel confestim excederet cœli securus, vel superstes aliquamdiu, sed non proinde certus degeret; in hanc se partem iturum esse, dum præclarum aliquod operæ pretium Deo facere interim liceret, periculo præ obsequiis contempto. « Nam quis nostrum (inquit), est principum, qui oblata videns stipendia tantisper a milite differri, quoad pluribus illa titulis promeretur non obstrictum se credat, ad eam illa vel conservanda vel etiam duplicanda? Et principes nostri igitur hoc soleant: negliget Deus? Aut beatitudinem sua causa dilatam patietur amitti? Ego ut hæc de Deo credam, animum inducere non possum, » ut in ejus vita scribit Jac. Biderman. n. CLIII.

Quarto, in consolationem ipsius Deiparæ; ut ita scilicet videret adhuc in carne præsens initia et incrementa surgentis Ecclesiæ, adeoque filios, nepotes, ac pronepotes filii sui; siquidem: *Corona senum filii filiorum*, inquit Sap. Proverb. XVII. Quemadmodum Deus Moysen tunc demum mori voluit, quando jam e propinquo conspiciebat ex monte Nebo terram promissam, Deut. ult. sic etiam dilectam Matrem suam, quando ipsa jam e propinquo videbat Ecclesiam Filii sui per orbem propagatam. Et quis explicare posset illius gaudium, cum ex omnibus orbis partibus tot filios ad se venire supplices videbat?

Quinto, ad majorem ipsius gloriam, ut ita ampliore meritorum copiam imo superabundan-